



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Svmma Casvvm  
Conscientiæ, Sive De Instrvctione Sacerdotvm Lib. VII**

**Toledo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

68. De restitutione famæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

possit, vel non sine graui suo detimento, adhuc etiam non peccat, sicut nec persona priuata. Multum autem quisque, quantum potest, debet fugere detractores, & dicere, & facere cum Dauid. *Detrahentem secreto proximo, hunc persequebar.*

*De restitutione famæ.*

CAPUT LXVIII.

**D**etractor tenet famam, quam alteri detraxit, restituere. Ut autem ad talem restitutionem teneatur, aliquæ sunt necessariæ conditions.

Prima est, quod verè abstulerit famam; si enim non abstulit, vel quia persona, cui detraxit, erat infamis, vel quia suæ detractioni non est fides exhibita, non tenetur.

Secunda est, quod contra iustitiam abstulerit; Vnde Iudex iustum ferens sententiam, & accusator, & testis, & denuncians, & alij, qui iuste famam alterius auferunt, non peccant, nec tenentur restituere. Quod si faciant ista ex odio, peccabunt quidem, sed contra charitatem, ob id restituere non obligantur.

Tertia est, quod persona detracta non recuperauerit famam alia via, puta, quia aliquis detractorem conuicit mendacij, vel quia ipse suo opere famam bonam recepit: tunc enim detractor non tenetur restituere.

Quarta est, quod persona detracta non condonauerit famam aut remiserit: si enim premium accepit pro infamia, vel gratis nolit sibi restitui, tunc detractor non tenetur. Non tamen semper potest aliquis famam remittere; non enim potest, cum est persona publica, cuius infamia nocet alijs; nec potest, cum ex ipsius infamia sequitur alterius infamia vel detrimentum; nec etiam, cum infamia est contra fidem, vt, de crimine hæresis. Cum tamen solius ipsius est infamia & nocumentum, nec de tanto crimen est, potest condonare, aut pretio aliquo commutare. His positis conditionibus tenetur detractor ad restitutionem.